



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

X. De rapina defunctorum clericorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

ANNO
CHRISTI
1197.

bluce denuntiari. Clerici vero beneficiati, qui per tempus trium mensium sententiam excommunicationis sustinere præsumperint animo indurato, per suos diocesanos suis beneficiis spolientur, & personis idoneis per illos, ad quos dictorum beneficiorum spectat collatio, conferantur, saluis aliis pœnis contra vsurarios editis, secundum canonicas sanctiones.

IX.

Item ordinamus atque statuimus, vt clerici & ecclesiasticæ personæ, tam sæculares quam regulares prælatorum suorum correctiones legitimas cum debita humilitate suscipiant, & si qui ex eis hac occasione contra suos correctores auxilium brachii sæcularis inuocauerint, vel potentum preces armatas impetrauerint, vel impetratis vti præsumperint, a suis beneficiis deponantur. Ipsis quoque prælati districtius inhihemus, ne prius minoris ætatis, videlicet octodecim annorum, dignitates, personatus, seu beneficia curam animarum habentia conferre præsumant, vel ad ipsa recipere præsentatos, nisi cum eis super hoc a sede apostolica vel legatis eiusdem extiterit dispensatum.

X.

Item ad aures nostras per clamorosa insinuationem multorum deuenit, quod patroni ecclesiarum tam clerici quam laici, aduocati & iudices, & præcones, bona decedentium clericorum occupant, volentes sibi ab intestato succedere, pro suæ voluntatis arbitrio, non iudicio rationis. Quare prouide duximus statuendum, vt patroni eccle-

fiarum, & alii supradicti a talibus de cetero abstinere, & nisi abstinere voluerint, quousque sic ablata restituant, excommunicationis vinculo innotentur.

X I.

Item districtius inhihemus, ne aliquis clericus ecclesiam parochialem a laico patrono recipere beneficium audeat, nisi ab episcopo vel archidiacono fuerit institutus; alioquin ab officio & beneficio se nouerint esse suspensos: & laicus, qui auctoritate propria instituere praesumpserit, ipso facto a iure cadat patronatus. Adicientes quod nullus patronus clericus vel laicus dotem ecclesiae, in qua ius obtinet patronatus, alienare praesumat. Quod si contra fecerit, ipso facto cadat a iure patronatus, & res alienata ad ius & proprietatem ecclesiae reuertatur.

X II.

Item ordinamus & statuimus, ut praelati & curam animarum habentes in suis ecclesiis corporaliter resideant, & ad hoc a suis episcopis per subtractionem fructuum compellantur, nisi causa legitima se potuerint excusare.

X III.

Item, cum clamosa insinuatio nostrum percusserit auditum & animum, quod abbates & monachi ordinis sancti Benedicti in quampluribus locis ab obseruatione sanctae regulae temere recedentes vitam nimis dissolutam ducere non verentur, in suarum animarum periculum, & scandalum plurimorum: volentes igitur, ut contra huius corruptelam salubre remedium apponatur, vniuersis episcopis Saltzburgerensis prouinciæ, ac episcopo Pragensi districte